



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Vita Beati P. Philippi Nerii Florentini. Congregationis Oratorii Fvndatoris

Gallonio, Antonio

Mogvntiæ, 1602

Morbos cuiusq[ue] generis depellit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43172**

*Id & ipsa-  
met Septi-  
mia, eiusq;  
mater, ger-  
mani, ac  
sorores sa-  
cramento  
testificati  
sunt.*

*Morbos cuiusq; generis depellit.*

**A**Nno salutis millesimo quingē-  
tesimo nonagesimo sexto Se-  
ptimia Neria ætatis decem anno-  
rum, cum Ianuario mense sub ho-  
ram noctis tertiam cum Olympiā,  
& Faustina sororibus ad ignē esset,  
casu euenit, vt Olympiā folles in al-  
tum tollente, fistula ferrea illis in-  
dita, eaque calida, atque ignita sini-  
stri oculi acies eiusdem Septimiæ  
non læderetur modò grauissimè,  
sed exureretur etiam: neque hic ste-  
tit res; in eodem mox oculo, in quo  
signa apparebant, quæ certā facerēt  
adustionis fidē, vesica nata est, hæc  
intolerabilis confestim dolor spas-  
mum mouens consequitur; puella  
præterea neq; læsum oculum clau-  
dere, neq; aciei adustæ vitio eos, qui  
circū se erant, cernere poterat; sum-  
maq; vi doloris oppressa toto cor-  
pore cōtremiscebat. Inter hæc ægræ  
mater Clœlia Bonarda quò tātū fi-

liæ



liæ dolorem vtcunque leniret, aquã  
rofaceam oui albo mixtam affectæ  
parti imponit, sed incassum omnia:  
quinimo id erat medicamentum,  
vt oculũ etiam rũpere posset. Itaq;  
remedijs frustra tentatis, ad alia me-  
dicamenta transeundum esse de-  
cernitur. Mater primũ lacryma-  
bunda positis humi genibus, B. Phi-  
lippi opẽ implorat pro filia: precib<sup>9</sup>  
adiicit votum, si Septimia amissam  
oculi lucem recipiat, votiuam se i-  
maginem ex argento fabricatam ad  
ipius sepulchrum, miraculi testem  
delaturã. sed cũ illa non audiretur,  
tum filia doloris magnitudine pro-  
pemodum victa ad eundẽ Beatũ vi-  
rum per se ipsa confugit, eiusq; auxi-  
lium ex animo in ipso impetu dolo-  
ris implorat: Beate Philippe, dice-  
bat: si tibi cordi non est, hunc à me  
morbum propellere, at saltem tãtũ  
minue dolorem; tenuerat enim eã  
plus tribus horis: tum supplicatio-  
ne completa, læso mox oculo ve-

Vitælib. 3.

Gg 2

lum



lum capitis, quod eidem vsui fuerat, admouit easdem iterans voces: nec spes, precesque incassum cecidere: extemplò dolor omnis discutitur, vesica euanescit, oculus ex toto sanatur. Somno mox placido correpta virgo ad lucem dormiuit, manèque experrecta cælum sanis oculis aspexit.

*Hanc rem  
prater ipsū  
Euangelistam alij  
sacramen-  
to enun-  
ciarunt.*

Euangelista Mariottus eodem anno, ac mense adeò grauius doloribus, febrique iactabatur, vt eum cōquiescere nullo pacto, nec in ipso eubili paterentur: cumque plures dies ita morbo afflictatus iacuisset, doloribusque vltra debitum incrementibus nocte quadam, quòd propinquam mortem non tam timeret, quam expectaret, sacramentis Ecclesiæ sub horam quartam muniri se postulat. Interea vnus ex ijs, qui astabant, miseratione ductus, eum consolando monet, Beato Philippo se commendet: Tum allatum ad eum ex eiusdem Beati viri vesti-

men-



mentis frustulum ipse magno cum sensu pietatis accipit, illoque in partes diuiso partem sibi ad collum appendit, partem minutatim concisam aquæ mixtam ebibit: hausta potione dolores confestim ex toto quiescunt: cibus, qui assumebatur, vt ante non redditur, atque æger ex eo tempore diuinitus confestim sonatur.

Eodem prorsus tempore virgo quædam Deo sacrata Iulia nomine ex lateribus, intestinisque grauissimè laborabat: grauitas morbi ea erat, vt ægra diu, noctuq; torque- retur assidue: ad morbum de medi- corû sententia medicamēta quàm plurima adhibuerat: sed cum non paulum dico, sed ne quicquã prorsus in ea leuamenti esset, vnus è so- roribus admonitu, cum eodem re- medio vsa esset, valetudini mox pri- stinæ se restitutam sensit.

Eodem anno, Februario mense Petrus Puteus nostræ Congrega-

*Totam rē  
ea ipsa iu-  
rejurando  
quamquã  
non sola  
testis ex-  
pressit.*

*Degit hæc  
Viterbij in  
cænobio S.  
Maria.*

*Id idem P.  
Petrus Pu.*



*tem iura-  
tus enar-  
rauit.*

tionis sacerdos Panormi cum esset, cōtigit, vt vnus ex ijs Antonius Maria nomine, qui apud Patres domus Panormitanæ domestico opere exercebatur, in ardentem, mortiferam, continentemq; febrim incidit: is singulis diebus eo horrore, stato tempore ad horam opprimebatur, vt toto corpore cōtremesceret, cuius rei causa continebatur sub veste satis multa, eadēq; crura, pedes, totumque corpus eius incalescendi studio contegere opus erat: horrore bene finito ardens, extorrensq; febris deinde sequebatur, qua ille ita vehementer premebatur, vt ardentissima vltra modum siti, ingentiq; circa pectus feruore vrgeretur: cūq; adhibita remedia nihil proficerent, eius vitæ timeri cœptum ab omnibus. Quodam die cum magis etiam quàm ex consuetudine, vehemēti siti conflictari se quereretur, Petro, qui ei affidebat, Beatus Pater occurrit: cuius memoria excitus detonsis

eiuf.



eiusem capillis, quos secum habebat, ad morbi remedium vti cogitat: quod cum faceret, nullis medicamentis protinus æger conualuit.

Hoc ipso itidem anno, Martio mēse Antonio cognomento Parmæ apostema in præcordijs erat cum acutis doloribus: hi tales erant, quales nunquam antea sustinuerat, quique nullam sinebāt eum, neque noctu, neque interdiu capere quietis partem: Apostema medicorum oculis haudquam patebat: suppurationes enim vbi notæ fuerint, eo facilius curantur; contra verò vbi ignotæ, neutiquam medicamentis sanari possunt: morbus medicis ignoratus augebatur quotidie, idoneisque medicamentis non iuuebatur: æger malo iam victus suo ad mortem haud dubiam tendebat, sed cū eo assiduè inualescente ad extremum tandē venisset vitę discrimen, capillis Beati Philippi, cuius vim

*Eam rem  
prater ipsū  
Antoniu  
duo alij  
oculati te-  
stes publico  
testimonio  
confirma-  
runt.*



in multis audierat esse salutarem, sic adiutus est, ut dolor nullis remedijs remittere cœperit, ipseque leuius habuit, somnus accessit, & sanatus est.

*Lege si libet B. Greg. Turonense de miraculis S. Martini lib. i. c. 32. lib. 2. c. 60. & lib. 4. c. 2.*

Verùm biduo nondum planè exacto, nouo rursus dolore, eoque grauissimo premi se sensit, vixque is ad quadrantem horæ mansit, cum apostema, neque à se, neque à medicis deprehensum continuo nullis adhibitis medicamentis erupit; quæ ex re illud factum, ut morbus ex toto quieuerit.

*Id ab oculatis, iuratisq; testibus acceptum.*

Eodem anno, Aprili mense femina Cornetana, cui Goræ nomen, ad eò acriter totos duos ac triginta menses quartana febre conflictabatur, ut iter ei non esset nisi ab igne ad lectum, & à lecto ad ignem. Huic reliquiaria theca, in quam non nihil è capillis B. Philippi inclusum erat, admota, ipso initio horroris, qui febrim antecedebat, melius confestim fuit: nec abijt is dies, quin ex

toto



toto desierit horror, discesserit febris. Verùm cum multis post diebus magno, continuoque, ac fœdo imbri iter faceret, febri iterum vrgetur; sed eodem remedio ad morbum vbi vtitur, derepentè leuius habuit, breuique post magnis in horas singulas, ac penè momenta virium incrementis plane conuuluit.

Hoc anno, Maio mense Augustinus Cardinalis Cusanus ad sepulchrum Beati viri conuestiendum Attalicam magni pretij vestem donum misit.

Octavius Rositanus Neapolit. eo ipso anno, Iunio ineunte, duos iam menses dysenteria laborabat, ex ea cruor manabat assiduè, aluum nulla medicamèta adstringere poterant; cum dysenteria continens, pestilensque febris erat, hominem miserè dies, noctesque excrucians: signa præterea apparebant in eo, quæ certum interitum indicarent.

*Vide Gregorium Turonensem locis supra citatis.*

*Eam rem testes sex oculati publico testimonio confirmarunt.*



Interea cum mortem ad horas expectaret, ab amico monetur B Philippi opem impleret: facit ille quod erat iussus: addit ad precem illius se institutum amplexurum, si conualescat: mox aquam, quam eius reliquiae attingerant, bibens morbo confestim idoneum remedium inuenit: expedita lingua proloqui incipit: die insequentibus medicis admirantibus qui fluebat cruor, mansit vis febris remissior; tum breui elapso tempore morbo omni discusso pristinae sanitati restitutus est: viuit is modo Neapoli Congregationi nostrae adscriptus.

Eundem duobus post mensibus intolerabilis penè dolor utriusque herens brachio inuadit: nascebatur is ex duobus erysipelatibus circa brachia consistentibus, morbus ita grauiter urgebat, ut aeger nullam quietis partem capere posset; qui ubi eodem remedio utitur, de repente totum ad se dolorem discutit, somnum capere coepit: beneficij me-

mor



mor Romam votiuum simulacrum  
argenteum ad Beati viri sepulchrū  
destinauit.

Eodem anno , octobri ineunte  
Catharina Iosephi Castalionis eru-  
ditissimi viri filia annum vitæ  
nonum, ardentissima repentè, mor-  
tiferaque feбри corripitur: ad febrim  
accedebat ventris fluxus , pituita,  
affiduaque grauedo; ægra præterea  
cibum adeò fastidiebat, nihil vt su-  
mere omnino posset. Quodã inte-  
rim die cum desperata salute iam  
esset, per quietem narrauit astitisse  
sibi Sanctissimam Dei Matrem  
cui vnus erat comes Philippus, ad  
huius enim opem parentes , ipsa-  
que confugerant, atque à Deipara  
se accepisse , nihil esse quòd medi-  
cis crederet, aut quidpiam timeret,  
se opem laturam , & intercessione  
Beati Philippi morbum depulsu-  
ram. Certè sanitas ægræ reddita fi-  
dem visi parentibus , domesticis-  
que fecit. Puellæ statim leuius fuit,

cibo



cibo refici cœpta est, magnaq; suorum gratulatione melius habebat in dies, breuique pristinae firmitati restitua est.

*Eius reitesuratos, oculatosque habemus duos.*

Alexander Fulignius eodem anno, Decembri exeunte ex intestinis laborare cū cœpisset (eo enim morbo grauissimè frequenter opprimi se sentit) B. Philippi opem initio morbi implorans omnem à se dolorem, omnemque morbum repente abegit.

Iesu Christi anno  
1597

Clem. VIII. Pap. anno  
5.6

*Alij rem sanantur egroti.*

*Eam rem hic ipse sacerdos iurando explicuit.*

**A**Nno deinde post Christum natum millesimo quingentesimo nonagesimo septimo ineunte Ioan. Baptiste Felici sacerdoti quinque & septuaginta annos nato, dentes dolebāt accerrimè: is porrò dolor eiusmodi est, vt maximis tormentis adnumerari possit: cumque in singula

penè